DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
PHTHISI.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. THEODORI RYCKII, J. U. D.

in Illuſtri Academiâ Lugduno-Batavâ Profeſſoris Hiſtoriarum & Eloquentiæ,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

GEORGIUS MELCHIOR Widemann / Plaviâ Variſcus.

Ad diem I. *Junii* 1682. *H. L. Q. C.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXII.

1185.g.16
15

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI.

PRÆLOQUIUM.

Quum *jam præteritô annô Lipſiæ ſub Præſidiô Dn. D. Ettmulleri, P. P. Patroni mei optimi & ſtudiorum meorum Promotoris maximi prolixius paulò de* Corpulentia nimia *diſputavimus: nemo fortaſſean vertet mihi vitio, ſi in præſentiarum* corpulentiam imminutam ſeu nutritionem deficientem, *quam* Atrophiam *vocant, quando nimirum corpori noſtro ſuccus laudabilis nutritius non ſufficiens, vel omninò nullus amplius apponitur, loco materiæ ad præſentem diſputationem inauguralem eligerem. Sed ne latè nimis exſpatiandi ſeſe exhibeat campus, paucula tantùm de Atrophiæ quâdam ſpecie, nempe de* Phthiſi pulmonum *more Academico pro temporis ratione & brevitate in medium jamjam proferre decrevi. Tu verò, Archiater ſumme! Fac ut cedant omnia ad nominis Tui gloriam & proximi ſalutem.*

THESIS I.

Antequam autem ad tractationem ipſam progredior, Etymologia nominis explicanda venit: & dicitur φθίσις, quod vocabulum originem ducit ex Græcia, derivaturq; ab antiquo verbo φθίω, pro quo recentiores uſurpant verbum φθίνω, quod ſignificat corrumpo, tabeſco, conſumo. Vocatur etiam φθόη ut ex Galeno 7. aph. 16. & defin. Medicis videre eſt. it. πύη ut Aretæus 1. de cauſ. & ſign. diuturn. cap. 8. ſcribit: Latini hunc morbum appellant *Tabem*: Germani verò, Die Schwind-oder Lungen-ſucht.

I I.

Sumitur φθίσεως vocabulum in foro Medico dupliciter, vel *generaliter*, quatenus omnem corporis conſumptionem ex quacunque cauſa ortam denotat, & ſub ſe continet hecticam, tabem dorſalem, imò & cachexiam juxta Celſum l. 3. c. 23. aliaque, quæ omnia tacitus prætereo: vel *ſpecialiter* & uſitatius magis pro iſta extenuatione, quæ ex corruptela & præprimis ulcere alicujus viſceris nobilioris v. g. renum, hepatis, lienis, pulmonum &c. naſcitur. Sic Horſtius l. 12. obſ. 5. annotavit phthiſin ex abſceſſu meſenterii. Quoniam verò pulmones præ reliquis viſceribus internis expoſiti ſunt injuriis externis, à quibus maximoperè læduntur, eandemque texturam poſſident, quæ diverſa recrementa ex Maſſâ ſanguineâ recipere & ab illis alterari, hinc præ cæteris vitium contrahere, tandemque in ulcus facillimè immutari poteſt: ideo κατ' ἐξοχὴν phthiſi laborare dicuntur, qui ulcere pulmonum affliguntur; quam poſteriorem ſignificationem hîc intellectum volo. Hinc definitur quod ſit

I I I.

Corporis humani contabeſcentia ex vitiis quibdam pulmonum nata.

I V.

Subjectum phthiſeos eſt corpus humanum, inprimis autem ſub-

ſtan-

ſtantia pulmonum, malè à Veteribus & modernis nonnullis parenchymatica ſeu carnea dicta. Quippe pulmonum ſtructura, quæ aſperæ arteriæ & vaſorum ſanguiferorum ramis appenditur, eſt aggregatum aliquod tenuiſſimarum & leviſſimarum membranarum: quæ extenſæ & variis modis ſibi intertextæ & combinatæ infinitas quaſi veſiculas diverſæ figuræ & capacitatis efformant, quæ veſiculæ talem inter ſe ſitum atque connexionem habent, ut ex trachea in ipſas, mox ex una ad alteram patens ſit aditus, omnes verò terminantur in ambientem membranam. Hæ igitur veſiculæ cum vaſis ſuis ſanguiferis, lymphaticis atque nerveis læſæ ſunt ulceris ſubjectum, à quo tota Maſſa ſanguinea tantoperè inquinatur, ut corpus humanum contabeſcat.

V.

Dixi in definitione, quod phthiſis proveniat ex *vitio quodam pulmonum.* Nam licet *cauſa proxima* phthiſeos pulmonalis frequentior ſoleat eſſe exulceratio pulmonum: quando nempe vel aliquid ſanguinis in pulmonibus ipſis læſis extravaſatur, & allabentis vaſis rupturæ adhæret, & acrimoniam aliquam acquirit, hinc magis magiſque rodit partes vicinas, donec ulcus evadat; vel quando aliunde ad pulmones derivatur pus, à quo ipſi inficiuntur atque corrumpuntur, & ex quo deinde aliquid purulentæ materiæ ſanguini per pulmones circulanti communicatur. Nihilominus tamen nullo modo excludenda veniunt reliqua pulmonum vitia. Etenim & corrugatio pulmonum tabem poteſt inferre, non aliter ac ſi aliquid peregrini forinſecus in aſperam arteriam incidit, eandemque indeſinenter irritando ad tuſſim continuam, ſucceſſivè conſtitutionem & hinc functionem ita afficere valet, ut facillimè ſequatur phthiſis. Sic ex nucleo pomi in aſperam arteriam illapſo phthiſis. vid. M. A. N. C. anno 4. pag. 26. item ex nucleo avellanæ in pulmonem illapſo continua tuſſis cum emaciatione totius & imminente phthiſi vid. Barth. Cent. 2. hiſt. 27. Plura huc facientia qui deſiderat, evolvat M. A. N. C. an. 2. pag. 80. an. 3. pag. 181. item Marc. Aurel. Severin. de Abſceſſ. p. 269. Sicuti è contra pulmones exulcerati ſine phthiſi fuerunt obſervati. vide Kerckring. in Spicileg.

cileg.

cileg. Anatom. obſervat. 72. item M. A. N. C. ad 1. pag. 213. Barthol. Cent. 2. hiſt. 14.

VI.

Exulcerationis cauſam dum perpendimus, devenimus ad *cauſas* pulmonum phthiſeos *remotas*, quæ meritò dividuntur in *internas & externas*. Illas ſi conſideramus, ſiſtit ſe nimia ſanguinis & lymphæ acrimonia & ſalſedo muriatica. Quippe omnis phthiſis pulmonalis, quæ à catarrho vulgo, ſeu à deſtillatione & defluxione ex capite oriri dicitur, à nullo alio eſt, niſi à ſanguine & lymphæ acrimonia vera, præſertim acidoſalſa, cujus fundamentum ac prima origo in digeſtione ventriculi vitiatâ poſita eſt. Ut eruditiſſimè atque prolixè hoc docet Excellentiſſimus Dn. D. Ettmullerus, Mæcenas ſtudiorum meorum ad rogum uſque devenerandus, in Collegio Privatiſſim. Practico.

Refertur etiam ad has cauſas internas 1. Pulmonum à primo ortu vitioſa ad Phthiſin proclivis conſtitutio, & ſingularis M. Seæ & ſpirituum radicalis craſis, ut quando parentes per traducem ſeminalem in fœtum tranſplantant Phthiſin; totæ enim hinc & inde reperiuntur familiæ, quæ eandem ad poſteros ſuos propagare ſolent. Sic Schenck. in obſerv. ex Fernel. lib. 5. cap. 10. Pathol. narrat, quod ii, qui tabida ſtirpe ſati ſint, quaſi hæreditariô jure omnes neceſſariò tabe marceſcant, hocque malum ſæpè viderint in omnes ejuſdem familiæ ordines graſſari. Et ex Fracaſtor. lib. 2. cap. 9. de morb. contag. refert idem, quoſdam etiam eâdem ætate mori. 2. Ætas aſcendens & conſiſtens, id quod innuit Senex noſter, quando Aphor. III, 29. inter reliquos morbos adoleſcentibus aſſignat tabem. & Aph. V, 9. vel VIII, 7. numerat inſimul annos, quando homines in Phthiſin facilè prolabantur, nimirum à decimo octavo ad triceſimum quintum uſque. Quia ſanguis iſto ætatis tempore utplurimum minus temperatus, minus dulcis, minus oleoſus, adeoque minus ad nutritionem aptus, ſed acrior, ſalſior, & aſperior facillimè incaleſcens & minus nutribilis; hinc minimè mirum, ſi adoleſcentes pulmonum exulcerationem incurrunt. Eandem ob cauſam in vulgus notum, quod obeſi aut ſucculenti, præ ma-

macilentis; mulieres interdum præ maribus minus incidant in phthiſin.

VII.

Ex rebus non-naturalibus inter *cauſas externas* primo loco numerandus eſt *aër* æſtate ſiccus & aquilonius, pluvioſus verò & auſtralis tempore autumnali; juxta Hippocr. Aphor. III, 10. 13. & 22. quippe iſta præprimis anni tempora ob inæqualitatem frigoris & caloris ad phthiſin proclives inſigniter offendunt: Vel miaſmate quôdam contagioſô ex phthiſico corpore exhalante imprægnatus. Contagioſum enim malum eſt exulceratio pulmonum phthiſica confirmata, dum per meatum ulceris corruptivum, aut per halitum exſpiratum aut per ſaniem expectoratam, pulmonem ſanum in alio ſimiliter inficit. Hinc ſæpius ſe mutuo inficiunt conjuges. vide River. Cent. 1. obſerv. 35. & 99. Barthol. Cent. 1. hiſt. 46. & Riv. Cent. 4. obſerv. 92. item Schenck in obſerv. Lib. 2. pag. 279. qui refert adeò contagioſa eſſe phthiſicorum confirmatorum ſputa, ut Medicus ſubinde olfaciens eadem effectus ſit exinde phthiſicus, ſicque exitiali morbo lethalis præſagii notionem Aphor. V, 11. proditam miſer emerit. Sic idem ex Fracoſt. enarrat, quod etiam veſtes phthiſicorum ſæpe viſæ ſint poſt biennium attuliſſe contagionem. Nec mirum, ſi verum eſt, quod ſcribit Panaroll. pent. 2. obſerv. 49. Expectoratum ſputum ex confirmato pulmonum ulcere excretum adeò virulentum ac malignum eſſe, ut muſcas illud guſtantes, inſtar arſenici interimat. Huc referendi ſunt halitus acidi corroſivi mineralium, in iis, qui ex. gr. operationibus metallicis vel chymicis dediti ſunt, ſæpius tabem atque phthiſin producentes; unde & aquæfortis odor adeò virulentus ab Helmontio dicitur, ut crebriori inſpiratu ſuſceptus phthiſin pulmonalem inferat.

VIII.

Quia 2. Sanguinem & ſpiritus nimis turbant, digeſtionemque primam admodum vitiant *Eſus* poſt iram & nimium terrorem; *potus* frigidus poſt incaleſcentiam nimiam, it. potus vini acidi; ideò

Ideò facilè ad phthiſin diſponunt pulmones: Hinc enim Hoefl. H. M. p. 112. teſte, in Auſtriâ phthiſis ferè endemica propter abuſum vini. Idem efficiunt acidulæ & Vitriolata omnia in iis maximoperè, quibus debilior exiſtit pulmonum ſtructura. Sic 3. Motus corporis vehementior, ſaltatio cumprimis atque vociferatio magna, it. caſus ab alto, tuſſis & vomitus &c. ſi modum excedunt, ut plurimum ſi non ſemper phthiſin pediſſequam habent. Nec excludenda ſunt 4. ſi excernenda retinentur, & retinenda excernuntur, v. g. quando ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis tabes imminet, juxta Hipp. aphor. VI, 12, referendus etiam huc aphor V, 15. Tandem 5. non minoris efficaciæ ſunt animi pathemata, ad morbum hunc producendum, præ cæteris v. mœror & triſtitia, ut quando virgo ob amaſii diſceſſum tabeſcit obſ. Panaroll. pend. 5. obſ. 18. quia ſic ſpiritus animales influi, qui cum ſpiritu inſito confermentati nutritionem efficere deberent, deficiunt. Hinc literati, qui vigiliis nimiis pariter atque intenſioribus indulgent meditationibus frequenter in phthiſin incidunt.

I X.

A cauſis ad ſigna diagnoſtica nunc progredior. Conqueruntur autem ægri primariò de virium labefactatione cum appetitu plus minus dejecto, ſentiunt ſubinde ad tuſſim ſtimulum & ſaporem ſalſum in ore præprimis mane: hinc malô progreſſô augetur tuſſis & reſpiratio paulo difficilius peragitur, guſtaturque in ore piſcium & carninm putridarum ſapor, ſupervenit poſt introitum lecti febricula lenta; pulſus ſemper celer, frequens, plus minus parvus obſervatur, & incipiunt exſpuere alba nonnihil viſcida, quæ ſucceſſive flaveſcere & nonnihil fætere, denique purulenta evadere ſolent: hinc hectica, tuſſis, ſudores nocturni, difficilis reſpiratio magis magiſque intenduntur, capilli defluunt, tandem viribus exhauſtis, ceſſante tuſſi, aut deficiente materiæ expectoratione ægri ſuffocantur, aut ſuperveniente diarrhæâ colliquativâ, aut intumeſcentia pedum ægri intereunt.

X. Quoad

X.

Quoad prognoſin juxta Williſium 3. Obſervandi ſunt gradus, nimirum *imminentis*, *incipientis* & *confirmatæ*: primus facilè, ſecundus difficilius, tertius planè non curatur. Et quemadmodum in ſecundo gradu vulnerariis & laudabili diæta interdum curari; ita ulterior progreſſus ſæpius per plures annos retardari poteſt. Signa Hippocratis, quæ benè obſervanda ſunt, recenſet Sennert. l. 2. Prax. ubi de Phthiſi p. 306. §. 5. & prolixius eadem exponit Sylvius tract. de phthiſi.

X I.

Prælibatis ſic breviter theoreticis progredior nunc ad phthiſeos pulmonalis curationem, tanquam ſcopum Medicorum præcipuum: quæ ut rectè fiat ſequenti modo inſtituenda. Nempe 1. Cauſa ante omnia eſt removenda, quare aut ſtomachus curandus, aut acrimonia ſanguinis & lymphæ acido-ſalſa temperanda, aut denique exulceratio viſceris plus minus perfecta ſananda, aliave ejus corruptela corrigenda: 2. Symptomata graviora mitiganda. & 3. Alimenta copioſi ſucci, & quæ ſtomachus appetit, & chylum dulcem alcali probe divitem ſuggerunt, ſuccoſque corporis temperatos & chyloſos reddunt, uſurpanda. Qualem methodum etiam ſupra laudatus, nunquam tamen mihi ſatis laudandus Dn. D. Ettmullerus c. l. præſcribit.

X I I.

Quem finem ut obtineat Medicus varia requiruntur media atque remedia, quæ ex triplici fonte deſumi poſſunt, nempe ex fonte Diætetico, Chirurgico atque Pharmaceutico.

X I I I.

Ante omnia autem ab initio ut ſtomachus & primæ viæ mundificentur, atque acrimonia M. S. corrigatur vomitoria optimè conveniunt: quin & in ulcere pulmonum confirmato, ubi urget difficilis reſpiratio, aut eſt difficilis materiæ excretio, ſi

vires

vires adhuc conſtant, & nullus adeſt ſputi ſanguinis metus, vomitoria ſimiliter convenire videntur. Hinc neglectis atque rejectis purgantibus acida blanda, ut terr. fol. tartari, ejuſque liquor rite præparatus, Spir. Salis dulc. Elix. præp. c. Spir. Vin. Miſtur. Barbetian. ex aceto cum lap. cancr. l. perlis &c. uſurpanda veniunt.

XIV.

Sanguinis & lymphæ acrimonia mitigatur optime per liquiritiam, helen. herb. betonic. tuſſilag. Amygd. dulc. paſſul. &c, Pertinet huc lap. cancr. antimon. diaph. ſuccin. &c. item rotul. & pulveres Knoefelii M. A. N. C. an. 6. app. p. 87. it. Antihecticum Poter. cum Conſerv. roſar. miſtum vid. Poter. Cent. 3 Cur. 20. quam conſervam Roſarum Avicennas etiam lib. 3. fen. 10. tr. 5. cap. 6. & Meſues cap. de phthiſi miris modis commendant: cui tamen præfert Sylv. in Prax. tr. de phthiſi §. 188. decoctum roſarum rubrarum cum forti expreſſione parandum, idque Sacchăro pauco edulcoratum. Magnam hic laudem merentur Medicamenta opiata, ſi rite præparata, & cum cautela, aliis medicamentis commixtis, adhibentur: quippe horum uſu diu conſervari poſſunt phthiſici. Præter hæc corrigunt etiam humores, præprimis in incipiente phthiſi, decocta lignorum; de modo adhibendi conſulatur Arcæus lib. de vuln. & febbr. unde etiam Alphonſus Ferreus lib. 2. de ligno ſancto, decocto ejus phthiſicos tantùm non deſperatos denuo ſanitati fuiſſe reſtitutos, refert. Vid. & Eraſtus in Conſil. à Scholzio collectis, conſ. 88. River. in prax. it. Cent. 1. obſ. 99. Decoctum Saſſafr. vid. Poter. Cent. 2. c. 99. Sic Acta Eruditorum Lipſiæ hoc ipſo anno auſpicata, referunt ex Ehrenfridi Hagendornii Cynosbatologia, quod alcohol ſummitatum pini ob Sulphur vegetabile in phthiſi magnarum exiſtat virium; & ipſe hujus effectum exoptatum aliquoties in Phthiſicis me vidiſſe teſtor. His annumerat Sylv. c. l. §. 160. Pilulas de Cynogloſſa dictas & de Styrace, tanquam acrimoniam ſalinam temperantes & obtundentes. Huc facit etiam Electuarium iſtud expertum antiphthiſicum, quod vid. in M. A. N. C. an. 6. p. 134. Cætera ut Species Diaireos, Diatragac. pulv. Haly contra

Phthiſ.

Phthiſ. lib. 6. pract. cap. 2. deſcript. it. ſperm. Cet. & quæ ſunt plura ſilentio lubens prætereo.

X V.

Pulmones ſi jam ſunt exulcerati, eò reſpiciendum, ut acidum fermentum corruptivum removeatur, ulterior puris proventus inhibeatur & ita conſolidatio viſceris promoveatur. Quare detergentia & mundificantia præſcribuntur cum vulnerariis, quippe horum alcali laudabilem in phthiſi curanda exhibet uſum. Sic adhibemus Rad. Ariſtoloch. rotund. & long. irid. &c. Herb. Hyſſop. Scabioſ. pulmonar. flor. roſar. hæder. terreſtr. Chærefol. & ſimil. Sylvius c. l. §. 184. & 199. cæteris omnibus præfert Balſam. Sulph. aniſat. Poterius valde commendat in Pharm. Spagyr. decoctum bugulæ ſeu conſolid. med. Lindanus referente Dn. D. Ettmullero laudat decoctum Symphit. & Prunell. cum china l. quajac. aſſumendo in quolibet hauſtu doſin Antimonii diaphor. Negligendi hîc non ſunt pulveres antiphthiſici D. Erbenii. it. Electuaria nonnullorum, quò exſcreatio eò melius promoveatur, nempe pulveres ſcordii, ſalv. rad. helen. &c. cum melle ad Electuar. conſiſt. redacti.

X V I.

Symptomata phthiſicorum ut ſunt varia; ita ne brevitatis terminos excedam, evolvi poſſunt, quibus placet, Practicorum ſcripta, cumprimis Sylvii aliorumque. Nihilominus tamen hîc annecto *Sereatum*, quem ulcus abſtergendo & ſordes pulmonum eliminando admodum promovent medicamenta ex Nicotiana. Quin ſolo ſyr. ex ſucco Nicotian. ritè præparato quoſdam tabidos reſtitutos fuiſſe ſcribit Heurn. in prax. *Fluxus alvi* ſi ſupervenerit, licet juxta Hippocr. Aphor. v. 14. ſit lethalis, quia colliquativus eſt, abſorbentibus tamen interdum C. C. uſt. terr. ſigil. it. remediis ex Cydoniis, roſis rubris ſiccis, lacte chalybeato nonnihil inhibendus venit. Dulcia, quod benè notandum, ut Saccharata & mellita &c. quantum fieri poteſt vitanda, quia fermentativa nimis & putrefactiva exiſtunt.

XVII. Ex

XVII.

Ex Diætetica fruatur ad phthiſin inclinans aëre moderatè calidô, fugiatque cane pejus & angue omnes ejus exceſſus. Sennertus loca piceis & ſimilibus arboribus abundantia incolere, vel ligna hæc reſinoſa in conclavi aſſervare, vel incendere jubet. Alimenta ægris exhibeantur boni ſucci, facilioris concoctionis & multi nutrimenti, alcali copioſum cujuſvis acre mitigans ſuggerentia, qualia ſunt Paſſulæ, ova ſorbilia, amygdalata, nuclei pinearum & piſtacearum, juniorum animalium carnes, & ex ipſis parata juſcula &c. hinc oſtreæ, cancr. fluviat. it. ranæ à quibuſdam laudantur. Certè cancr. fluv. rore alcalino nutritivo turgidi, modo à ſtomacho digerantur, alimentum erunt medicamentoſum egregium. Inter quæ primas non immeritò præmiſſis præmittendis *Lac* tenet, quò docente Galeno 3. de alimen. facult. cap. 15. de cibis boni & mali ſucci cap. 4. 5. Meth. med. cap. 6. curandis phthiſicis vix præſtantius datur, vid. & Hipp. Aph. V. 64. quippe ſeroſa ejus pars abſtergit, caſeoſa conſolidat, & butyroſa nutrit, corpuſque & humores temperat. Merito autem præfertur *muliebre*, hinc aſininum, cui ſuccedit caprillum & equinum, calidum viribus adhuc integris cum pauco Saccharo bibitum, ſeu ex mammis ſuctum.

XVIII.

Tandem qui jam ex Chirurgicis petunt phthiſicis auxilium, præſcribendo V. S. ſed quàm noxia ſit eadem Vid. in Borello Cent. 4. obſ. 15. Nec ii proſunt, modo non noceant, qui fonticulos inurere conſueverunt phthiſicis, ſeducti à catarrho, quem ex capite in aſperam arteriam deſluere arbitrantur. Topica quibus adhibere animus eſt, evolvant Aetium tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 67. Sennertum lib. de phthiſi & alios. Ego vero pedem hic figo, & facio diſputationis hujus bono cum Deo

FINEM.